



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum I. Si Episcopus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

pro anima sua non potest, sine patris assensu, præterquam si castrense, aut quasi castrense peculium habet. Neque enim videbatur conveniens, ut juri ac potestati patriæ à SS. Canonibus præjudicium aliquod afferatur (vide, quæ dixi lib. 3. tra. 5. c. 3. n. 2.) & quod patria potestas non ita se extendat ad jura spiritualia, qualis est electio sepulturæ, prout habetur in Capitulo ult. de judicijs in 6. & jam dictum est.

CAPITULUM VLTIMUM. Religiosi.

PARAPHRASIS.

Cùm Religiosi velle, & nolle non habeant, sepulturam sibi eligere non possunt, sed in monasterijs suis sepeliri debent, nisi adeò remoti sint, ut eò commodè non possint portari, tunc jus sepulturæ eligere ipsis competit.

SUMMARIUM.

1. Religiosus absque Pralati consensu sepulturam sibi eligere non potest.

2. Nisi distantia, & incommoditas hoc requiratur.

NOTANDUM primum. Tamen si uxor ab eo ligere possit, non tamen Religiosus absque Pralati consensu. Rationem dicitur dat Gl. hic. quia Religiosus simpliciter, & omnimodè subditus est Pralato, ab eoque dependens in omnibus, (saltem externis actionibus, & dispositionibus; at veto non est absolutè, & omnimodè subditus marito, ab eoque dependens, sed tantum, quatenus Lex matrimonialis ipsam cum marito copulat, eidemque subijcit: itaque cessante ea Lege disponere potest uxor arbitrato suo. Vide, quæ dixi lib. 4. tit. 4. 7. assert. 2. & 6.

NOTANDUM secundum. Ratione distantie, & incommoditatis quædam permittuntur, quæ alioquin non permitterentur. Ita Gl. hic. V. commodè, & sumitur in c. 3. supra. hoc lib.

& tit.

**

TITULUS XXIX.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS

Ius sepeliendi communi jure ad parochias pertinet; eâ occasione, cum post ultimas voluntates de sepulturis, & jure sepeliendi dictum fuerit, id eò generatim de parochijs, earumque juribus subjungitur

CAPITULUM I.

Si Episcopus.

PARAPHRASIS.

Episcopus cum magna Diœcesanorum parte incidit in hæresin Donati, & idcirco alius susceptus: postea Episcopus ille ad Ca-

tholicam redijt unitatem. Hoc in illis duo Episcopi isti parochias, in quibus aliquo tempore Catholici, & Donatiani fuerunt, dividebant ita, ut alia ad unum, & alia ad alterum loca pertinerent, & ille Episcopus partitionem hæc faciat, qui est antiquior, alter vero eligat. Quod si tantum unus locus, & una parochia sit, pertineat ad illum, in quem plebs consenterit. Quod si eam consentiant, & Catholici antiqui, & qui velint Episcopum, & qui recens hæresin converterit, suam; voluntas plurimum præferatur voluntati pauciorum: si partes æquales sint, attendatur, uter diuina

cesserit Episcopatum: quod si plura loca Diocesis sint, numero v. g. impari, tunc divisis alijs locis, circa unum fiat, sicut dictum est in casu, si unicus tantum sit locus.

SUMMARIUM.

1. Virum beneficiarius ad haresin deficiens, si iterum ad Ecclesiam redeat, sua beneficia recuperet?
2. In re communi dividenda Majoris est divisionem facere, Minoris rem eligere?

Notandum primum. Si Episcopus, aliusve beneficiarius, in haresin incidat, a ius in locum ejus sufficiens est, quia privationem juris, ac tituli ipso jure incurrit. Sed quares. Si Episcopus, aut beneficiarius ad Ecclesiam reversus sit, num recuperet jura amissa, ac titulum beneficii. Affirmare videtur *Glossa c. maximum 10. causa 1. q. 7.* ubi loquitur de jure patronatus, quod patronus, qui propter haresin jus patronatus amisit, reversus ad Ecclesiam illud recuperet: sed generalius respondetur, si sententia privationis contra haresicum v. g. data sit, non recuperat jus amissum, per emendationem, sicut in eadem *Gl.* notatur: idemque dicendum, si pena privationis ipso jure contracta sit v. g. ob haresin, qua jura infamiam habet annexam, item bonorum omnium confiscationem, talis enim pena seu jure, seu ab homine, per sententiam inflicta, non tollitur, nisi per Principis restitutionem *argum. c. vergentis 10. de haresicis & L. commissa 14. ff. de publicanis.* & tradit *Abb. c. quia n. 9. de electione.* Sin autem damnatus à Principe sit restitutus, recuperat omnia bona, & jura *L. i. C. de sententiam passis.* ubi explicatur, quid sit damnatum in integrum restitui, videlicet honoribus, & ordini, & omnibus ceteris restituere, & in *L. 2.* notatur, aliud esse indulgentiam crimini dare, aliud verò restituere hominem; nam indulgentia solius pena remissionem continet, sed restitutio

in statum pristinum per omnia reponit, quam rem explicat *Bartholus cit. L. 1. n. 1.*

Limitari debet. Si bona & jura, quibus reus est privatus, in alium Principis donatione translata sint, damnato per restitutionem in integrum non acquiruntur: quia ea fieri censetur sine præjudicio juris alieni *argum. c. quamvis 8. de rescriptis in 6.* Quare cum in casu hujus Capituli Episcopo post reditum ad Ecclesiam pars Diocesis assignata fuit, id factum est ex gratia, & concessione speciali, propter circumstantias loci, ac temporis, quæ in Africa dominantibus Donatistis concurrerunt; præsertim cum Episcopi reversi in possessione adhuc essent, nec facile removeri possent, ut videre licet apud *S. Aug. epistola 50. ad Bonifacium.* Quare cum decisio Capituli ex speciali causa processerit, non facit jus commune, nec debet ad alios casus extendi, nisi ad omnino similes; quales tempore schismatis accidere possunt, ut *Innoc. & Joann. And. hic* notavit.

Notandum secundum. Non incongruus 2. modus est, si res communis dividenda sit, ut major natu, aut peritor, rerum divisionem faciat, alter verò minor natu, aut minus peritus electionem habeat, *argum. sumpto exc. 13. Genesis. v. 8.* & ita docuit *Guido papa decisione 289.* & videri potest *Bartholus L. senatus S. senatus. ff. de jure fisci.* Illicitius tamen, & securius est, ut Judex dividat, & electio sortis committatur secundum *Gl. L. 2. quando, & quibus quarta pars, Tolosanum lib. 5. Syntagmarum c. 4.* Quod si res divisionem commodè non admittat, æquum est, ut ei detur, qui plus pretij ad alterius jus redimendum obtulerit, vel ut alterius partis redemptio, seu electio tribuatur ei, cui major portio, seu jus potius competit, sicuti *Gl.* notavit *cit. L. V. in sortium.*

* * *

CAPI-